

## † R. P. Thomas Walsh (1864-1931).

(*Prov. Hibernicae*).



Die 24 Aprilis in domo nostra Marianella (Dublini), annos natus 67, obiit R. P. Thomas Walsh. Eodem fere die praecedentis anni ad Hiberniam post absentiam quattordecim fere annorum pervenerat. Quos per annos in longinqua Australiana missione strenue laboravit, ubi per sex annos, primo Vice-Provincialis, deinde, post erectionem novae Provinciae, Provincialis munere fungebatur. Iam per triennium Superior Provincialis in Hibernia fuerat, ibidemque bis Rector domus, et per quinquennium Procurator Provincialis et Direc-

tor iuvenatus. Anno 1909 tamquam Vocalis Capitulo Generali interfuit. Ex quibus satis constat Provinciam nostram strenuum operarium et propagatorem zelantissimum amisisse.

Anno 1883 in Congregationem cooptatus, toto studiorum decursu tum ingenio tum industria fuit insignis. Semper memor verborum Constitutio num, summa diligentia enitebatur ut omni scientiarum divinarum et humanarum genere politus et praesertim in litteratura sacra instructus et eruditus esset, ut quibusvis in adiunctis Ecclesiae utilitati et emolumento esse posset.

Die 10 Septembris 1890 ad sacros ordines promotus, et statim domui iuvenatus adscriptus, septemdecim fere per annos munus operosum et humile Lectoris obibat. Omnes eius alumni sui Lectoris duas dotes praecipuas indicant: zelum indefessum in scientia excolenda, quem etiam in aliis flagrare voluit, et amorem vere paternum quo ad iuvenes iuvandos et recreandos se totum semper dedit.

Anno 1909 de domo Dublini fundanda, in urbe principe nostrae Provinciae, agi coeptum est. Res erat magni momenti: domo enim comparata, iuvenistae nostri altioribus disciplinis in Universitate Catholica vacare poterant. Illo igitur anno R. P. Walsh cum aliquibus iuvenistis Dublinum missus est, ubi in domo privata deversati, scholas Universitatis frequentabant. Humile fuit initium, sed anno proximo nova domo in urbe empta, R. P. Walsh primus Superior est renuntiatus. Multae gravesque superandae erant difficultates, sed, Deo adiuvante, omnia prospere evenerunt novaque domus stabiliter fundata. Nomen habuit Marianella, vere Alphonsonianum, et Beatae Mariae Virgini sub titulo Immaculatae Conceptionis dedicata est, sub quo titulo R. P. Walsh devotionem ardentissimam ergo Virginem Matrem semper fovebat.

Anno 1912 Superior Provincialis factus, per triennium multa fecit ad Provinciam nostram stabiliendam et propagandam. Anno 1916 ad Australianam Vice-Provinciam profectus, ibi per annos octo impiger missionarius laborabat. In omni fere parte eius vastae regionis missiones et exercitia ad populum, ad sacerdotes, ad religiosas praedicavit. Anno 1924 Superior Vice-Provincialis factus, adeo felici cum successu omnia tractabat ut post tres annos regiones Australinae in Provinciam sui iuris erigerentur, cuius primus Superior R. P. Walsh fuit. Itaque, quod raro accidit, Provincialis fuit in duabus Congregationis Provinciis. Per alterum triennium fortunas novae Provinciae regebat, sed iam vitae illius, gloriae Dei et animarum saluti unice deditae, finis adfuit. Mense Novembri 1929 subito quadam paralysi correptus, munere suo oneroso diutius fungi non potuit. Primo vere anni proximi ad patriam regressus, per aliquot menses meliorem valetudinem uti videbatur, sed mense Martio et iterum mense Aprili huius anni subita paralysi membrorum corporis correptus est. Die tandem 24 Aprilis placide in Domino quievit.

Genuinus Sancti Alphonsi filius, R. P. Walsh spiritum assidui laboris cum spiritu orationis continuae arcte coniungebat. De eo dici poterat: Semper laborat, semper orat. Magnam devotionem erga Missae sacrificium habuit, itemque erga Beatissimam Virginem. Apud nos sincera caritate omnibus prodesse, obesse nemini semper studebat. Sanctae nostrae Regulae semper observantissimus, qua Superior et subditus nihil praetermisit, quin praeclaram istam coronam a Sancto Alphonso omnibus in observantia viventibus et in Congregatione morientibus promissam adipisceretur.

Faxit Deus ut et nos omnes sequamur exempla eius. R. I. P.